

quæ non, vt ait Quintilianus, suum authorem defensorēmque habuerit. Ac de Philosophia quidem fidem nobis faciunt & Epiphanius & Celsus is, de quo in procēmio huius libri postea meminit August. & Diogenes Laertius: & Plutarch. in lib. quinque, de placitis Philosophorum, qui omnes diuersas Philosophorum sectas & sententias nobis descripserunt. In doctrina verò fidei idem euenis se testatur & verbum ipsum diuinum, & Epiphanius grauis scriptor, qui hæresēōn, tum earum quæ ab initio mundi & ante Christum incarnatum extiterunt: tum earum, quæ postea natæ sunt, luculēter meminit. Hoc autem malum tum ex natiua & propria hominis ipsius malitia & cæcitate, quæ utraque nobis iam propter peccatum inest, accidit: tum Satanæ astu & suggestione, qui veritatem ostendit, factum est.

## C A P. I I.

*Vtrum utile sit hæreses nosse, easque commemorare, & de utilitate ex hereticis capienda.*

**E**quens quæstio est, Vtrum operæ pretium sit hæreses, & eas imprimis, quæ in recta fide sanāq; doctrina, quæ Christiana est, euenerunt, nosse & legere, & tractare. Primū ne quid labis & contagionis inde trahamus. Sæpe enim nescio quomodo sensim influit, & incautis obrepit quidam gustus earum opinionum, quas tractamus, vt arrideant, & à nobis postea defendantur. Deinde vt Clemēs Strom. lib. 5. ex Æschylo docet,

*Nem*